

tenuis mei valeant humeri, demonstraturus, placido  
 Commilitonum conflictui me tradere decrevi, ut pa-  
 teat, quousque tenuiter quidem, sed multa cupiditate  
 profecerim.

Circumspiciens & de Themate, memorabilem  
 causam de COMMUNIONE BONORUM ut aggre-  
 derer, subsequens mihi nata est occasio: Notum puta,  
 est omnibus, ut remotiorum non meminerim, his re-  
 centioribus temporibus, & præcipue, ubi bellum non  
 arsit, ac pacis amœna venerunt refrigeria, homines  
 aliquot naïci, qui laborare noluerunt, & manibus  
 suis honestius non acquisiverunt, unde viverent, fur-  
 tis & rapinis sustentationem sibi quærendi insanam  
 arripuisse occasionem.

Et qui Historiam furum aureæ tabulæ, insignis  
 istius Cimelii, quod Lunæburgum olim tuebatur,  
 ex DOMINO HOSEMANNO, vel etiam nuperiorem  
 CARTOUCHII in Gallia prædatricem scenam invi-  
 sit, is ad hunc usque diem non defuisse æque tetros  
 furciferorum mores, ac in genere quidem deprehendet  
 ex HOMERO, quod de fure dici queat:

*Hic quia nequitiis assuevit, adire laborem  
 Non vult, & timida populi petit ostia voce  
 Ut replere suum queat insatiabilis alvum.*

Verum dum non facile datur vitium, quod virtutis  
 specie colorari non velit, hinc etiam his perditis pro-  
 vinciarum expilatoribus non defuit glaucoma, quo  
 sibi assentarentur, & reliquis etiam non satis sagaci-  
 bus fucum obducerent.

Postquam enim *Fanatici*, confuso satis & fere tur-  
 bido cæstro perciti, caput illud sanctissimum, *de abne-  
 gatione nostri*, ita detorserunt, ut nec ad Justificationem,